

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 7. Deprecatio pro omnium necessitatibus

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

moriā vitæ , passionis , & mortis præfati Domini nostri ,
& in obedientiam ejusdem mandati , quo præcepit ut
idem in ejus commemorationem faceremus . Ad honorem
& augmentum gloriæ Deiparæ Virginis , omniumque An-
gelorum & Sanctorum , eorum præfertim quorum hodie
festivitas celebratur . In gratiarum actionem pro universis
beneficiis tuis , quæ mihi indignissimo peccatori , cunctis
que hominibus , & omni creaturæ conferre dignatus es .
In propitiationem & satisfactionem pro peccatis totius
mundi , & pro meis specialiter , de quibus doleo , quæque
detestor & abominor super omne detestabile , quia tibi
maximopere displicent , cum firmo proposito emendatio-
nis . Et quia hoc sacrificium vim impetratoriam infinitam
habet , offero illud pro meis , & omnium viventium , ac
defunctorum necessitatibus : & primò quidem fructum
quem possum & debo , illi principaliter applico pro quo
celebrare intendo , & si forte contingat eum non indigere ,
vel non esse capacem , opto & volo hunc fructum ad N.
derivarī : cum applicatione Indulgentiarum mihi vel tali
defuncto . Secundariò autem sine ejus præjudicio , pro
quo offerre primariò teneor vel intendo , offero pro omni-
bus mihi peculiariter commendatis , pro N. & N. protali
gratia obtainenda , & pro cunctis viventibus atque defun-
ctis , pro quibus me indignum famulum tuum legatione
apud te fungi voluisti , ut defunctis requiem indulgeas ,
vivisque gratiam concedas tibi serviendi , & in amore tuo
usque in finem perseverandi . Amen .

§. VII. Deprecatio pro omnium necessitatibus.

Memento Domine per viscera misericordiæ tuæ , per
merita Filii tui , quem pronobis oblatum nunc de-
nuò offero , per merita B. Virginis & omnium Sanctorum ;
memento Ecclesiæ tuæ , sponsæ tuæ , auge in ea puritatem
fidei & munditatem sanctitatis , & labore virorum Aposto-
licorum dilata eam toto orbe terrarum . Conserva eam
quietam & tranquillam , & portæ inferi non prævaleant

adversus eam. Hostium ejus elide superbiā , & gentes
à fide alienas veritatis tuæ splendore collustra , ne pereant
tot imagines tuę , pro quibus pretiosus Filii tui sanguis
effusus est. Da Summo Pontifici nostro N. cor. docile , da
Spiritus sancti abundantiam , ut populo sibi commissio
verbo & exemplo præluceat. Intende oculos pietatis tuę
in universos Ecclesiæ Præsules & Pastores , & fac eos su
per gregem sibi commissum fideliter excubare. Adesto Pa
rochis & Presbyteris , & omni clero , ut nulli præbeant
scandali occasionem , diligent puritatem , & ea sequantur
quæ pacis sunt. Esto propitius omnibus Religiosis , quos
separasti tibi in hæreditatem de universis populis terræ:
da illis continuum in virtute profectum , votorumque ac
regularum exactissimam observantiam. Da huic domini
bonorum temporalium sufficientiam , & spiritum excita
in Prælatis nostris , & in cunctis fervorem accende. Suscita
in Ecclesia tua strenuos operarios , qui eam verbo fideliter
pascant , & exemplo confirment. Da eis rectam mentis
intentionem , zeli sinceritatem , contemptum sui , animi
robur , virtutis constantiam. Effunde miserationes tuas ,
Domine Princeps Regum terræ , in omnes Reges & Ca
tholicos Principes , eisque tribue in obedientia fidei & Ec
clesiæ perseverantem famulatum , subditorum curam , ju
stitiaæ zelum , mutuam pacem , & observantiam mandato
rum tuorum. Tuum etiam auxilium cunctis Magistrati
bus præbe , ut pacata gubernatione subiectos regant , te
in omnibus judiciis suis timeant , tibique jugiter placere
contendant. Da omni statui Ecclesiæ abundantiam gratiæ
tuæ , ut unusquisque in ea vocatione , in qua vocatus est ,
tibi dignè & laudabiliter famuletur. Da Virginibus casti
tatem , Deo dicatis continentiam , conjugatis sanctimo
niam , pœnitentibus indulgentiam , viduis & orphanis su
stentationem , pauperibus protectionem , peregrinantibus
reditum , navigantibus portum , justis perseverantiam ,
bonis ut meliores fiant , tepidis ut fervescant , malis &
peccatoribus , qualem me dolens esse confiteor , ut conver-

tantur. Conserva cælum in salubritate, terram in fertilitate, fructus in maturitate, mundum in providentia omni ex parte sufficienti. Respice omnes ægrotos, afflictos, tentatos, agonizantes, & in aliquo periculo vel necessitate constitutos, & da illis auxiliū, remedium & consolationem, prout expedit ad gloriam tuam & illorum salutem. Supplex item oro te, benignissime Deus, pro omnibus inimicis meis, quos intimè diligo: pro iis qui me offendunt, vel quos ego offendit aut scandalisavi, ut eis in omnibus benefacias, & pectora eorum sancto igne tuæ charitatis succendas. Miserere omnium pro quibus orare debeo, vel qui se commendaverunt indignis orationibus meis, omnium præcipue consanguineorum, affinium, amicorum, & benefactorum meorum N. & N. Exaudi preces & vota ipsorum, & subveni eorundem ad te clamantium necessitatibus. Oro te quoque pro tali re & negotio N & N, ut felicem exitum sortiatur, si saluti nostræ profuturum esse cognoscis. Memento etiun Domine Rex æterne, cui omnia vivunt, animarum omnium fidelium defunctorum, præsertim N. & N. super quas invocatum est nomen tuum. Extingue earum ardorem optaro rote misericordiæ tuæ, & cito purgatas in conspectu tuo admittre. Pro me ipso tandem infelicissimo peccatore clementiam tuam humillimè imploro, ut per virtutem hujus sacrificii universa peccata mea dimittas mihi, quæ multipliata sunt super numerum arenæ maris. Audi sanguinem Filii tui altius clamantem quam sanguis Abel, & in virtute hujus oblationis miserere servi tui secundum magnam misericordiam tuum. Dirige me in via tua, & doce me facere voluntatem tuam. Auge in me fidem, spem, charitatem, & reliquas virtutes statui meo necessarias. Da terrena despicere, & amare cælestia. Posside me jugiter secundum beneplacitum tuum, ut te in omnibus & ubiqui inveniam, donec per felicem mortem ad te mercar pervenire. Amen.